

36 **H**ic supponendum est, quod iam diximus de Sacramento in genere quasi 3. art. 1. Christum Dominum non determinasse in omnibus sacramentis equaliter speciem rei ponendam pro materia; in aliquibus enim non determinavit rem ponendam, vel exhibendam talem secundum speciem infimam, sed solum per se designavit in materiam, positionem alicuius signi externi, vel traditionem externam alicuius rei sensibilis apte, ut per ipsum significaretur talis effectus sacramentalis, relinquendo Ecclesie determinationem magis specialem rei adhibendam; Quod patet in exemplo Confessionis sacramentalis, nam pro materia sacramenti Pœnitentiæ instituta est manifestatio peccatorum sensibilis quomodocunque hoc contingat, sive enim hæc manifestatio fiat sensibilis per verba, sive per solos natus, est sufficiens, quia tale signum externum confessionis peccatorum habet substantiam signi Christi instituti.

Ita igitur dicendum est in presenti de sacramento ordinis, quod Christus pro materia quorundam ordinum instituit traditionem alicuius rei accomodatam ad significandum talis ordinis ministerium, potestatem & gratiam; non tamen designavit ipse rem numero vel specie determinatam, sed reliquit eius rei specialem determinationem Ecclesie, ut hæc opportuno determinaret rem talem istam, vel illam esse tradendam verb. gr. librum, vel vas cereum, vel candelabrum, vel utrumque &c. & quidem ipsa experientia id persuadet, quia non solum ipse non adhibuit illam materiam, quæ de factis in collatione ordinum adhiberi solet, sed nec etiam Apostoli illam ab initio adhibebant, siquidem tunc temporis primo Ecclesie primordio nec liber Evangeliorum, nec Epistoliarum extabat, cuius tamen traditio est materia alicuius ordinis de facto; ergo verisimile non est, Christum quorundam ordinum materiam determinasse, quæ modo sunt in usu, sed illam materiam Ecclesie determinationem reliquit. Ita notatur Bellarminus, Vasquez, Layman, Lugo, Bernal, Poncius, Aversa, & alii; de quo plura videri possunt apud Aversa q. 2. sect. 1. & Card. de Lugo disp. 2. de sacram. in q. 2. sect. 1.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolvitur Quæstio de quatuor Minoribus, & duobus Maioribus.

37 **I**n assignanda materia, & forma ordinis cuiuscunque, ac eorum officii ab inferioribus ad superiores ascendendo procedemus iuxta Scoti doctrinam ad 4. q. 1. m. & ea, quæ habentur in Concil. Cartag. 4. & in Pontificali Romano referemus; Itaque Oltiarum materia est traditio clavium Tempel per manus Episcopi, & verba illa, quibus ubi rationem consecrans quando illas potestatis ac quasi redditurus per orationem pro his verbis, quæ his clavis redduntur; ex quo factis constat, Officium Oltiarum esse aperire, & claudere fores ecclesie ad ingressum Fidelium, & ad custodiam sacramentorum, ac etiam depositorum, quæ in templo aservantur addit quoque, ut ad mittat solum dignos, & repellat indignos, qui solum consentur infideles non baptizati; Ad Oltiarum quoque pertinet campanam pulsare unde post ordinationem ducitur ab Archidiacono, vel eius vice fungente ad aperendas, & claudendas Ecclesie fores, campanasque pulsandas.

Materia, & forma Sacramenti, quo confertur ordo Lectoratus est potestatis dicens, & verba, quæ tunc profertur ab Episcopo lector enim ordinatur per traditionem libri, in quo continentur sacra lectiones, & per verba, quibus ordinatus ei curam legendi per mittit dicens, *Accipe, & esto verbi Dei rector &c.* Unde lectoris officium est legere apud populum in divinis officiis verbum Dei, sive simpliciter recitando, sive etiam cum modulamine canendo; quæ ratio Vasq. 2. disp. 236. cap. 2. præter officium legendi, dicitur illi ad scribere etiam munus prædicandi. Verum quia hoc officium tribuitur Diacono, non ipsi Episcopo, non debet Lector hoc munus prædicandi attribui præter dictum legendi, & tenus est, quod legere debet ea, quæ populo annunciari, nec nempe non debet ex se, seu ex mente sua dicere, sed ex libro legere.

Materia, & forma Sacramenti, quo confertur ordo Exorcistatus, est traditio libri exorcismi, in quo continentur exorcismi ad expellendos Demones ab obsessis, & verba, quæ tunc ab Episcopo profertur, quibus ordinatus dicit potestatem pugna ad versus Tartareos hostes dicens, *Accipe, & commenda memoriam, & habere potestatem imponendi manus super Energumenas, hæc est materia, & forma, quæ præscribitur in Pontificali Romano; ex quo patet, eius officium esse manus, super Energumenas imponere sive baptizatis, sive catechumenis, & ad pellendos ex illis Demones exorcismos ecclesie super illos legere, atque modo illos præparare, ut factis interesse, & participare possint, quod totum refertur quoque; finaliter ad eucharistiam, ut homines non impediatur à Demor-*

ne, sed reddantur habiles ad participandum de Euc. in cōmuniōne, & sacrificio.

38 **M**ateria, & forma Acholitatus est traditio Cerei extincti, & Urceoli vacui cui verba, quæ tunc profert Episcopus, quando enim tradit candelabrum cum Cereis extinctis dicit, *Accipe Cereferarium cum Cereis &c.* deinde tradit urceoli vacui dicens, *Accipe Urceolum ad suggerendum vinum, & aquam in Euch. sanguinis Christi.* Unde quia hic concurrent duæ materie, & due forme, dubitari solet, quænam eam sit de essentia, & in qua parte consistat propriè hæc ordinatio. Alii volunt consistere in priori illa parte, scilicet in traditione Cerei cum suis verbis, quia istud videtur præcipuum officium huius ordinis, ut etiam ait Doctor in hac quaestione, unde, & sumptum est nomen Acholyti, & Cereferarii. Alii vero è contrà contendunt consistere in posteriori parte, hoc est, in traditione Urceoli cum suis verbis, quia hoc ministerium magis directum est, & proximum ad Eucharistiæ sacrificium, quo maxime respectu ordines sunt instituti. Melius tamen alii dicunt media via ascendendo, in ordinatione Acholyti materia, & forma in duplici parte consistere, & ex utraque coallescere, materiam scilicet, est traditio Urceoli vacui, & candelabri cum Cereis extinctis, formam vero ex verbis, quæ correspondentiibus; itaque mihi probabilis videtur, utriusque traditionem, tam Urceoli, quam Cerei esse in hac ordinatione essentialem, ut etiam ex nostris tenet Faber quia utraque ponitur equaliter, ut in Concil. & Pontificali Romano videri potest. Ex quo consequenter sequitur, duplex esse Acholyti officium in dicta duplici ordinationis parte significatum; Unum est lumina accendere, & deserre, & cum his sacerdoti assistere ad Eucharistiæ sacrificium; Alteri est preparare, potrigere urceolos cum vino, & aqua ad idem sacrificium peragendum, id est, urceolos cum vino, & aqua subdiaconum preparare.

39 **D**e Materia, & Forma subdiaconatus est consimilis dubitatio, quia in Pontificali Romano habetur, quod in ordinatione eius traditur ab Episcopo duplex materia, & profertur duplex forma; Nam tradit primo eis Episcopus calicem vacuam cum patena vacua posita super calicem, quam tangit manu dextera, & dicit illa verba, *Indere cuius ministerii vobis traditur, &c.* postea tradit eis Epistolam librum dicens, *Accipite libri Epistoliarum, & habete potestatem legendi eas, &c.* est ergo dubium, quænam illarum sit materia, & forma essentialis; in qua dubitatione pariter tres sunt opinioniones duæ extremæ, & una media. Prima opinio extrema asserit, materiam propriam, & essentialiam huius ordinis esse solam traditionem calicis vacui, & patenæ sine hostiæ, & consequenter formam esse verba correspondentia illi materiam superius adducta; fundamentum est, quia ita determinat utitur in Concilio Cartag. 4. c. 5. ubi dicitur, *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi vacuam, & calicem vacuum;* ac etiam in Conc. Flor. sess. 1. ubi dicitur, *Subdiaconatus confertur per calicem vacuam cum patena vacua super posita traditione.* Accedit ratio quoque, quia hæc materia, & forma immediatius ordinatur ad Euchar. conficiendam, quam libri Epistoliarum, ac eius traditio, & lectio, qui est actus magis remotus subdiaconi, & minus perfectus, ut etiam dixit Doctor. d. 24. cit. ar. 2. in fine ita Valentia, Vasq. Coninchus, Sanchez, Bernal, Layman, Faber, ex nostris, & Brancatus 1. 3. disp. 6. ar. 2. & plures alii Summisistæ. Opposita sententia docet, materiam huius sacramenti, & ordinis consistere solum in traditione libri Epistoliarum, eisque formam in verbis eius correspondentibus; Ratio est, quia eodem modo pertinet ad Subdiaconum tempore sacrificii cantare, vel legere Epistolam, sicut ad Diaconum legere Evangelium, atque hic ordinatur per huius traditionem; ergo ille ordinatur per Epistolam traditionem; Tum quia ab initio Ecclesie Subdiaconi vasa sacra tangere non poterant, ut multi colligunt ex Concilio Laodicensi can. 2. ergo illa nequeunt ad materiam huius ordinis propriam, & essentialiam pertinere; ita Vigerius, Filicinus, & alii Summisistæ.

40 **M**edia tamen sententia magis placet, quæ materiam Subdiaconatus constituit in traditione calicis vacui, & patenæ vacuæ, & simul in traditione libri Epistoliarum; formam vero in verbis, quibus utraque traditio fit ab Episcopo, ita Hurtad. Caspensis, Poncius, Aversa, & alii. Ratio est, quia his omnibus exprimitur officium subdiaconi, videlicet solemniter canendum Epistolam, & ministrandum sacerdoti vasa corporis, & sanguinis Domini; Nec obstat, quod in Concilio eccliarum traditio libri Epistoliarum expressa non habetur, quia non ob id excludit, sed potius in pontificiis, sicut est, hæc quoque partem materię haberi in Pontificali Romano, sicut in aliis quoque ordinibus additur aliqua pars, quæ in illis Conciliis expressa non est, ut videmus; Ob idiam tamen auctoritatem, & ob præmissam Ministerii ad sacrosanctum sacrificium propinquioris dici potest, in ordinatione subdiaconi magis principaliter consistere in traditione calicis cum patena, ut potest quæ maximè habet proportionem cum institutione, & exercitio huius ordinis ad ministerium in Eucharistia; Imò effectus gratiæ, & characteris in hac parte materia confertur, ad hanc traditionem lib. Epistol. per se, & intrinsecè ad integratam, & constitutionem huius ordinis spectare, licet minus principaliter.

Neque

Neque etiam rationes pro secunda sententia extrema convincunt, ut sola traditio libri Epistoliarum sit huius ordinis materia, & excludenda sit ratio calicis cum patena; Falsum namque est, ab initio Ecclesie fuisse subdiaconis interdicitum vasa sacra tangere simpliciter, & absolute loquendo, sed in Concil. Laodicensi cit. solum fuit eis vetitum tangere, & deserre sacra vasa, quando contingeret corpus, & sanguinem Christi; nunquam tamen fuit eis interdicitum tangere sacra vasa vacua, sed semper ibi fuit eis licitum, ut habetur ex Conc. Bracar. cap. Non liceat 23. dist. Neque paritas assumpta de Diacono tenet in omnibus, sed solum convincit, quod sicut Diaconus fit per traditionem libri Evangeliorum cum suis verbis ex Florentino, ut mox patebit: ita pariter subdiaconus per traditionem libri epistol. debet cum suis verbis, sed non convincit, quod per istam tantum fieri debeat, sicut fit Diaconus, ut communior sententia tenet, de quo postea.

Et ex his demum patet, præcipuum subdiaconi officium esse, ut ait Doctor disp. 24. cit. quæ. 1. in fine, sacra vasa calicem, scilicet, & patenam ad usum sacrificii preparare, & ad altare deserre, & quoniam Diaconus est, qui proxime sacerdoti in Missæ sacrificio ministrat, officium subdiaconi erit ipsi Diacono in medietate ministrare, eisque dicta vasa offerre, quia ea præbet Sacerdoti; Deinde eisque quoque officium erit, licet minus præcipuum, Epistolam in Missa solemniter canere, & proferre, & rursus observare, & hoc expressè illi committitur in traditione libri Epistoliarum.

41 **D**e Materia pariter, & Forma Diaconatus est inter Scholasticos dissidium, & tres tamen sunt opinioniones duæ extremæ, & una media. Prima extrema docet, eam essentialiter consistere in sola traditione libri Evangeliorum, & verbis ei correspondentibus, *Accipe potestatem legendi Evangelium &c.* fundamentum est, quia de hac sola traditione fit mentio in Conc. Flor. sess. 1. ubi inquit quod *Diaconatus confertur per libri Evangeliorum traditionem.* Deinde quia Gregorius Nonus cap. Tresbyter de sacramentis non iterum videtur expressè, manuum impositionem exclusisse, quæ fit in ordinatione Diaconatus, quæ fuit ab Apostolis introducta, & non à Christo instituta. Tandem quia illud est solum de essentiali alicuius ordinationis, per quod traditur ordinato certum aliquid officium; sed hoc in ordinatione Diaconi fit per solam traditionem libri Evangeliorum, & dicta verba, ergo hæc sola fuit de eius essentiali; ita Valentia, Vasq. Sanch. Nugens, Casp. Hurtad. Bernal, Faber, ex nostris, Brancatus disp. 5. ar. 5. quæ plures Summisistæ. Alia sententia extrema putat eam, & essentialiter consistere in sola manuum impositione cum verbis illi correspondentibus *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* & expressè excludit traditionem libri Evangeliorum. Fundamentum est, quia in Conc. Cartag. 4. cap. 4. fit solum mentio impositionis manuum. Deinde, quia olim in Ecclesia Anticenis, in qua Durandus fuit Episcopus non solum Ordinandi tradit libri Evangeliorum, Tandem, quia cum ab Ecclesie initio fuerunt ordinati Diaconi, non tunc dicitur scriptus Evangeliorum liber; ergo huius traditio non pertinet ad essentialia huius Ordinationis, ita Durandus, Hofius, Becanus, & alii nonnulli, pro qua etiam citatur Corsus quibusdam aliis quod disp. 23. ar. 2. in fine dixerit, legere Evangelium non esse proprium Diaconi actum.

42 **M**edia tamen sententia etiam in hoc puncto placet, hæc quoque Ordinationem adæquate in utraque parte consistere, scilicet impositione manuum, & libri Evangeliorum, traditione cum suis verbis, quæ in utraque dicuntur, & ex utraque ratione completi integræ materiæ, ex utraque prolatione integræ formæ; Ita sentit Hurtad. Sanch. Bell. Lug. Con. Bernal, Aversa, & alii Reventores, quæ sententia est rationibus utriusque per se fundamentum sumit cum non aliter cõciliari possint; Et quidem de traditione libri id negari non potest, quia Conc. Florent. hæc expressè ponit ut materiam & verba illi correspondentia, tanquam forma; Pro alia etiam parte Conc. Cartag. expressè impositionem manuum affirmavit, & cum neutrum ex his Conciliis recitari id, quod alterum dicit, licet eius mentionem non faciat, utrumque retinendum est, tanquam ad utriusque Concilii auctoritatem salvandam.

Sed tertium Concilii Cart. Vasq. & cum eo Bernal, nositer exponere nitentur, ut non loquatur de substantia Ordinationis, sed solum de quadam eius solemnitate, & cæremonia, mentem Concilii fuisse, discernere ponere inter manuum impositionem, quæ fit in ordinatione Sacerdotis, & eam, quæ fit in ordinatione Diaconi; quod in illa non solum Episcopus, sed etiam alii Sacerdotes silesites suas imponunt manus in hæc verò solum Episcopus, Verum totum hoc sine fundamentum dicitur, & contrà expressam Concilii intentionem; quod enim de cæremonia merè accidentaliter non loquatur, sed de substantia Ordinationis, per quam Diaconus verè ordinatur, patet ex can. 5. ubi dicitur, *Idem dari Calicem Subdiacono, quado ordinatur, quomodo non accipit manuum impositionem, sicut Diaconus; quare cum ex hoc capite discernitur assignet inter Diaconi, & Subdiaconi ordinationem, expressè significat, eodem modo illum ordinari per manuum impositionem, sicut hic ordinatur per traditionem calicis, & patenæ, Con. quia eum Concilium propriam, & essentialiam materiam in omnibus aliis Ordinibus etiam minoribus designet, nec alia pro Diaconatu assignet,*

quam manuum impositionem, dicendum est, illam assignate voluisse pro materia essentiali, & non tantum pro cæremonia quadam accidentali, quod & indicant verba Episcopi hinc actum correspondentia: *Accipe Spiritum Sanctum, cum enim per modum imperativi profertur, effectum habere debent sacramentalem.*

43 **A**d fundamentum prioris sententiæ occurrendum est, non per hoc quod Concil. Florent. impositionis manuum mentionem non fecerit, illam exclusisse; nec mirum, quod eius non meminerit, siquidem ea præcipue ibi designate intendebat, quæ tanquam instrumenta ad sacra ministeria, & facit potissimum in ordinatione Diaconi mentionem traditionis Evangelii, quia statuerat aliam quam externam materiam per singulis sacramentis assignare, quantum fieri poterat. Ad 2. negatur assumptum, nam Pontifex ibi non solum non excludit, sed potius requirit manuum impositionem, tanquam huic Ordinationi necessariam, & essentialiam, sicut & Sacerdotali; quo autem sensu hæc manuum impositio vocetur ibi ritus ab Apostolis introductus, varie sunt expositiones ut videri potest apud Coninchium, Bernal, & alios, nec desunt qui negent eas esse Pontificis verba; quod si semel concedatur, dicendum est Pontificem vocatitum ab Apostolis introductum, id est, in praxi positum, quamvis non ab ipso Christo servatum, quando ipsos Apostolos ordinavit; vel quia ex communicatione Christi facta ad Ecclesiam ipsi Apostoli determinantur, quæ deberet talis ordo conferri. Ad ultimum negatur minor, quia spiritualis potestas Diacono propria ei traditur, non tantum per traditionem Evangelii, licet per hanc appetius significetur, sed etiam per manuum impositionem.

44 **A**d fundamentum posterioris sententiæ extrema pariter resp. quod sicut Florent. exprimit solum traditionem libri Evangeliorum non ob id intendebat excludere manuum impositionem, ut modo dictum est; ita neq. Conc. Cartag. hæc solum exprimit illam excludere intellexit, quia neutrum ex eis Concil. recitavit, quod alterum dicit, licet eius mentionem non faciat, & idem utrumque retinendum est. Ad 2. minime dubitandum est, in universalis Ecclesie ritum hunc tradendum librum Evangeliorum semper fuisse servatum, licet aliqua Ecclesia particulatim pro aliquo tempore circa hoc errare potuerit, & auctoritas præsertim illius Ecclesie Anticenis, cuius Durandus ipse fuit Episcopus, non est tantum nos movere, vel turbare debeat, ut inquit Conine. Ratio est, quia mos est, ac laudabilis sumorum Pontificum consuetudo ad tollendam Religiosorum ambitionem, eorum humilitatem servandam, id Episcopalem dignitatem extra claustra querunt vel eam non concedere, vel solum in Ecclesiis infimi ordinis, unde talem esse illam censetur, cui Durandus præfuit Religiosus ex Ordine Prædicatorum assumptus. Ad 3. respondent alii, quod licet ab Ecclesia initio scriptis non fuerit integer Evangeliorum liber, poterat esse, ut in cartis quibusdam descripte essent aliqua partes, sive aliqua mysteria fidei, quæ utiq. habuissent eandem vim, & nomen Evangelii, & ad hanc ordinationem sufficere; Alii dicunt, Christum initio dispensasse cum Apostolis, ut possent hunc Ordinem conferre sine traditione libri Evangeliorum.

45 **M**elius tamen respond. ex communi doctrina jam tradita ab initio quaestiois nu. 36. cum Bellarmino, Coninchio, Marchino, Aversa, & aliis, quod sicut Christus externam peccatorum confessionem instituit determinatè materiam penitentis, nunc autem hæc factanda sit verbo, vel scripto, aut aliis signis sensibilibus non determinavit, sed Ecclesie determinandum reliquit; & materiam, & formam matrimonii instituit consensum contrahentium externis verbis, vel aliis signis expressis, hæc autem signa in particulari non determinavit, sed ea communi usus, & contrahentium voluntati reliquit; item formam cuiusque Sacramenti instituit in genere verba, quæ actionem conferrent significarent, v. g. talem hic, & nunc à baptizante ablui in nomine Patris &c. ipsa autem verba in particulari, & individuo talem actionem exprimentia non instituit, sed hæc reliquit communi loquentium usui in proprio idiomate; siquidem ad illam eandem actionem significandam alia adhibet verba Græcæ, alia Latinæ, alia Gallicæ, & Hispanus in propria vernacula lingua; Sicut, inquam, dicta signa in matrimonio, & penitentia, & verba in aliis formis sacramentorum instituit quidem determinatè secundum rationem suam formalem, seu significacionem, quatenus determinatè talia esse voluit, ut certam rem determinatè significarent, indeterminate tamen secundum esse materiale; ita pariter instituit materiam huius Ordinis in impositione manuum Episcopi, & traditione alicuius rei, quæ Diaconi officium designaretur, quænam autem res in individuo tradi deberet, hoc determinationi Ecclesie reliquit, ita quod partialem hæc materiam Diaconatus instituit secundum rationem formalem determinatam, quæ scilicet determinatè significaretur hic, & nunc per talem actionem Traditio certam potestatem Ecclesiasticam, indeterminate tamen secundum esse materiale, quatenus in potestate Ecclesie reliquit per traditionem huius, vel illius rei collationem huius potestatis significare. Et per hæc doctrinam facile conciliantur ritus diversi Ecclesie Latinæ, & Græcæ in Or.

in Ordinibus conferendis, utraque enim confert Ordinationem per signum sensibile, & verba, quae optime collationem Ordinis significant, quare utraque valde conficit, & utraque servat formaliter loquendo materiam, & formam à Christo institutam, licet materialiter signis diversis utatur; Quae admodum disp. praed. dicebamus, Gregum in fermentato consecrantem, & Latinum in azimo utrumque vere servate materiam à Christo institutam pro sacramento Eucharistiae scilicet panem; Christus enim non determinavit hunc, nec illum, sed panem ab solute loquendo, sive sit azimus, sive fermentatus, nec vinum album, vel nigrum sed vinum, quodcumque esset; & denique per hanc doctrinam late, & erudite ritus utriusque Ecclesiae conciliat Petrus Aretius de Concordia Ecclesiae Occidentalis, & Orientalis in sacramento administratione lib. 6. c. 4. de quo videri potest Card. de Lugo d. 2. de sac. in gener. ser. 5. ubi late agit de hac re.

46 Denique ex dictis patet, Diaconatus duos esse praecipuos actus vel officia; Primum est ministrare materiam ad conficiendam Eucharistiam, & dispensare corpus, & sanguinem Christi; Alterum vero est Evangelium legere, sive canere inter Missam solemni; prior tamen actus est nobilior, inquit Scotus d. 2. c. 1. art. 2. in fine, quia immediatus ordinatur ad Eucharistiam conficiendam in ordine ad quam jam supra dictum est ordinem distinguuntur; alios dicit Maiorales, vel Minores; legere autem Evangelium est actus re-motior; Quamvis autem dicit ibi Doctor hunc actum esse minus proprium, & minus principalem Diaconatus, non ob id negare voluit, materiam Diaconatus esse quoque traditionem libri Evangeliorum saltem partialem, ut et tribuit Soto 4. disp. 24. q. 1. ar. 3. sed tantum significare voluit, priorem esse praesentem eo quia immediatus ordinatur ad Eucharistiam conficiendam, ut satis ibi se declarat; quae etiam ratione Auctores adaequate materiam huius Ordinis constituentes in utraque parte iam assignata, scilicet impositione manus, & traditione libri Evangeliorum, & utramque faciunt de substantia huius Ordinationis, praeterunt impositionem manus, libri vero Evangeliorum traditionem faciunt partem minus principalem; unde consequenter volunt, in illa priori parte conferri gratiam, & imprimi characterem, adhuc tamen addi ulterius debere libri traditionem.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Materia, & Forma, & Officio Presbyteratus & Episcopatus.

47 Circa materiam, & formam Presbyteratus conveniunt omnes materiam esse signa illa sensibilia, quae in susceptioe Ordinis Sacerdotii adhibentur, & formam esse verba illa, quae ab episcopo profertur, ut habetur in Pontificali Romano, simul cum portione materiae, seu signorum illorum sensibilibus. Verum cum hac materia in Sacerdotio sit duplex, scilicet portio calicis, & patena cum hostia, & impositio manus episcopi super Ordinandum, & verba quae duae ab episcopo profertur, dum porrigit calicem, & patenam cum hostia, sunt diversa à verbis, quae eodem profertur, cum manus super ordinandum imponit, & diverso tempore fiunt, quae est inter Doctores, an sola portio calicis cum vino, & patena cum hostia sit materia sufficiens, & essentialis, & verba illa, quae tunc ab episcopo profertur, ut *Accipe potestatem offerendi sacrificium in nomine Domini*. An vero etiam impositio manus sit materia necessaria requisita, ut de essentia; & simul etiam verba ab episcopo prolata, dum manus imponit, sunt de essentia formae, scilicet, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata remittentur eis, & quorum retinueris, retenta sunt*.

In qua controversia tres sunt sententiae, duae extremae, & una media. Prima extrema censet, materiam essentialem huius ordinationis esse solum impositionem manuum episcopi, formam vero esse verba illi correspondentia, *Accipe Spiritum Sanctum* &c. Ratio est, quia huius tantum fit mentio in Concilio Carth. 4. cap. 3. Secunda extrema docet, totam essentialem Ordinationis huius consistere in traditione patenae cum pane, & calicis cum vino, & verbis illis: *Accipe potestatem offerendi sacrificium* &c. Impositionem vero manus cum verbis formae correspondentibus non esse de essentia, & substantia Ordinis Sacerdotalis, sed esse accidentaliter, quae sunt adhibenda ratione praecipua, non vero, quia sunt de essentia, haec est fatis communis apud Summas, quam tenent Silvester, Angelus, Bonacina, Diana, Valentini, & ex nostris Faber d. 1. c. 1. q. 1. c. 4. tanquam probabilior de mente Doctoris.

48 Media sententia communior, & tenenda astricti, Sacerdotis ordinationem adaequate consistere, tum in traditione patenae, & calicis cum pane, & vino, tum in illa impositione manuum, quae fit à solo episcopo post hanc traditionem, atque ad eam integram materiam esse hanc traditionem, & impositionem integram vero formam esse verba, quae in utroque actu ad ordinationem profertur. Hanc tenent communiter Recentiores Bellarminus, Vasquez, Coninchius, Bernal, Aversa, Ledesma, Sanchez, Marchius, Filiucius, Layman, & ex nostris Brancatus tom. 3. disputat. 6. art. 8. & alii quamplures, quam ex Scot. acceperunt 3. disp. 24. q. 1. ar. 3. ubi conceptis verbis ea docuit, dum inquit, in sacerdotio videri prohibi-

les, quod ibi sint duae formae partiales, in quarum altera confertur potestas conficiendi eucharistiam, in reliqua potestas absolvendi in poenitentia, & istis coniunguntur duae materiae, hoc est duo signa, videlicet propria, formae primae traditio calicis, & patenae cum hostia, *Accipe potestatem celebrandi* &c. secundae formae impositio manuum episcopi super caput, *Accipe Sp. Sanctum*, ut sic Episcopus concorditer agat cum summo Episcopo Christo, qui prius contulit potestatem Apostolis tam conficiendi, quam absolvendi. Et saltem omnino est, quod inquit Faber loc. cit. quod 4. d. 19. ar. 3. secundam sententiam iudicaverit probabilior, nimium hanc ordinationem consistere solum in traditione patenae, & calicis cum pane, & vino, & verbis, quae tunc ab Episcopo profertur, & hanc esse sufficientem, & integram materiam, & formam.

Hoc inquam falsum est, nam potius Dock. in oppositu significat ex praedictis verbis, dum inquit *lis. G.* quod utraque potestas, scilicet, in corpus Christi verum, & milicem comititur cuilibet Sacerdoti ad minus complete ordinato, & addit, quod si prius tempore datur sibi auctoritas celebrandi, quam absolvendi, non est tamen perfectè ordinatus quantum ad utramque auctoritatem; & rade concludit, quod utraque potestas integret totum ordinem Sacerdotii atque idem Sacerdotis ordinationem tam in traditione patenae, & vini quam in impositione manuum cum suis verbis adaequate consistere.

49 Ex qua Scottica doct. Recentiores unice assertionis huius fundamentum desumpserunt, ut dicitur Bernal. disp. 47. scilicet, nam in Sacerdotio perfectò duplex reperitur potestas, una est in corpus Christi naturale, & physicum, quae constituitur potens Eucharistiam consecrare, altera est in corpus Christi mysticum, seu morale, quae potest peccata Christianorum remittere, & sacramenta poenitentiae atque extremae Unionis ministrare; & utraque potestas formaliter pertinet ad eundem ordinem Presbyterii, quoniam illa prior sine ista posteriori est, quae essentia sine prima proprietate, vel quasi pars substantialis essentiae sine parte, & ista posterior praesupponit illam priorem in subiecto necessitate ordinis, & illi est annexa iure divini, ergo haec duae potestates sunt ita essentialiter connexae necessitate ordinis, & de iure divino; falsum est, manuum impositionem, quae traditur secunda potestas, esse eadem tantum accidentalem, & necessariam solum necessitate praecipua, quia non est perfectè, & complete sacerdos, qui utramque potestatem non habet.

Resp. Faber, sacerdotem aliquem non esse perfectè ordinatum posse duobus modis intelligi, uno modo, quod non habet perfectam, & essentialem ordinationem sacramentalem; & hoc modo falsum est, quod ordinatus per primam formam non sit perfectè ordinatus; Alio modo, quia non habet actu omnem potestatem, quae habent Sacerdotes, & hoc conceditur, sed hoc non est de essentia sacramenti sacerdotii, sed de congruo, & ex ordinatione divina consequens ad sacerdotium. Sed haec solutio eodem argumento revincitur, si enim utraque potestas pertinet formaliter ad eundem ordinem sacerdotii, ut argumentum probat, jam qui utramque potestatem non habet, nec consequenter habebit perfectam, & essentialem ordinationem sacramentalem; & si ex ordinatione divina haec utraque potestas sacerdoti debetur, ut Faber in sua responsione fatetur, iam impositio manuum, per quam talis potestas confertur, non erit ceremonia tantum accidentalis, & solum necessitaria, necesse est ordinis, & iure divino; Est plane hoc totum deducitur ex ipsa ceremonia, quia utitur Ecclesia in sacerdotum ordinatione, qui enim ordinantur, habent Casulam à tergo complicatam, donec potestatem accipiant ligandi, atque solvendi, quae datur per impositionem manuum Episcopi post sacrificium perfectum, & Eucharistiam sumptam, ut notat Vasquez d. 2. c. 3. q. 6. 5. volens per hoc Ecclesia significare, quod qui solum recipit potestatem conficiendi, & calicem, non est sacerdos, sed sacerdos inchoatus, sive incompletus, donec accipiat aliam absolvendi, & quae absolve loquendo dari potest potestas consecrandi sine potestate absolvendi, non tamen sine ordine ad istam, hanc essentialiter supponit illam priorem, & principalem, & gratia per utramque confertur, quid autem de characterem sacerdotii dicendum sit, patebit postea.

50 Deinde hanc ordinationem vere consistere in traditione patenae, & calicis cum pane, & vino, & in verbis, quae tunc profertur, definitum est in Concilio Florentino, in litteris Eugenii, & colligitur ex ipso modo, quo Christus Apostolos ordinavit in Sacerdotes, praebendo eis in nocte epna panem, & calicem consecratum ac dicendo, *hoc facite in meam commemorationem*, & similis prolixus est modus, quo nunc in Ecclesia sacerdotis ab Episcopo ordinatur; De impositione vero manuum constat etiam ex Conc. Carthaginiensi citato pro prima sententia, cum inquit: *Presbyter, cum ordinato Episcopo benedictione manuum super eius caput tenente, &c.* ubi tamè non declarat, impositionem manuum esse materiam totalem huius Ordinis, ut illa sententia asserbat, idem habetur in Concilio Moguntino c. 3. cum dicitur: *Collatio Ordinis cum impositione manuum, veluti visibili signo traditur*; & hoc etiam ex ipso factu Christi deducitur in ordinandis Apostolis, separatum enim illis contulit potestatem consecrandi, & potestatem absolvendi, priorem quidem in nocte Cenae, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*.

tionem alteram vero post resurrectionem, quando dixit Io: 20. *Accipite Sp. Sanctum quorum remiseris peccata remittentur eis*, quae ipsum modum in sacerdotibus ordinandis Ecclesia servavit, priorem enim partem peragat Episcopus ante consecrationem, alteram vero in fine Missae, & per utramque perficit totam ordinationem sacerdotalem. Hoc idem deducitur ex Conc. Trid. nam sess. 14. cap. de extrema Unctione definit, Ministrum extreme Unctionis esse Episcopum, aut Presbyterum ritè ordinatum per manuum impositionem, & sess. 23. can. 4. de sacramento ordinis habet haec verba: *si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Sp. S. & promissum Episcopum frustra dicere, accipe Sp. S. anathema sit*, ubi Concilium declarat tunc ordinari Presbyteros, & tunc eis gratiam Spiritum Sancti communicari, cum eis dicitur, accipite Spiritum Sanctum, at hoc dicitur, quando manus ab Episcopo imponuntur, ut patet ex Pontificali Romano. Hoc tandem probatur auctoritate Patrum, nam D. Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotum cap. 5. dicit haec ceremonia perfectè ordinationem, *Homo manuum imponit, & Deus largitur gratiam*, Hieronymus in epist. 58. ita inquit *Ordinatio non solum ad imprecationem vocis, sed etiam ad impositionem manuum completur*, & D. Aug. lib. de gelis cum Emerito, & alibi ita *manus impositione ordinari Sacerdotes*, quae testimonio nequeat esse clarior, passim enim à Patribus, & Conciliis sacramentum ordinationis appellatur impositio manuum, ac etiam à Paulo Apostolo, ut patet per Timoth. 4. c. 2. Timoth. 1. ubi ait *Admoceo te ut resuscites gratiam, quae in te est per impositionem manuum mearum*.

51 Respondent Faber loc. cit. quod à Patribus, & Conciliis sacramentum ordinationis appellatur impositio manuum, & etiam à Paulo Apostolo, quia praesertim adhibebat hanc ceremoniam in collatione ordinis, nam cum otto sacerdotibus sit praecipuum munus in Ecclesia, & manuum impositio sit quaedam oratio magni momenti cum ieiuniis, & magna pietate, ac devotione conjuncta; illa praesertim adhibebatur in collatione huius sacramenti; haec tamen non erat de essentia sacramenti ordinis; sed ceremonia quaedam accidentaliter, & quia praesertim in tali adactione sacramentali considerandi ordines haec ceremonia adhibebatur, idè frequenter Scriptura, & Patres appellant sacramentum ordinis manuum impositionem. Neque ob id, inquit Faber, illa verba secunda formae *Accipe Spiritum Sanctum* sunt falsa, licet enim per illam non detur gratia sacramentalis, sunt solum confertur per prolationem primae formae; adhuc tamen confertur potestas absolvendi à peccatis, quae perficit potestatem sacerdotalem, modo ab eodem explicato in eius prima responsione iam adducta.

Sed cum omnes antiqui Patres Ordinationem vocent manuum impositionem dicere, quo semper loquuntur de ceremonia aliqua accidentali, viderit omnino incredibile, ut bene ait Coninchius, praesertim cum quoties hoc sacramentum explicatur, semper recenseatur manuum impositionem, tanquam aliquod, quod in ea ferè primarium locum obtinet, & alterius ceremonie vix deminuit. Deinde si per hanc manuum impositionem gratia non datur sacramentalis, ut ait Faber, planè nullus remanet Scripturae locus, nec Patrum testimonium, quo probare possimus eam per hoc sacramentum conferri, quia & Scripturae, & Patres, & antiquiora Concilia, dum dicunt per Ordinationem gratiam confertur, communiter dicunt eam per manuum impositionem confertur, ut constat ex testimonio adductis; quare fatendum est Ordinationem sacerdotis duabus partibus praedictis consistere ad eius perfectionem essentialem, scilicet, & per utramqueque conferri non solum novam potestatem, sed etiam gratiam sacramentalem, quod planè deducitur ex ipso modo, & verbis quae dicuntur in manuum impositione *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, &c.* Hic enim est modus efficax verborum, non solum ad praebendam potestatem remittendi peccata, sed etiam ad gratiam Spiritus Sancti conferendam, ergo id in hanc parte verè percipitur, & haec pars rationem huius sacramenti, & ordinis verè percipit, & non est tantum ceremonia quaedam accidentaliter.

Ex his patet primaria, & praecipua Sacerdotis officia, quae ei de iure divino, & ex vi sui institutionis conveniunt, quae sunt ita propria, & annexa, ut non liceat, nec valide exerceri possint ab alio quocunque non ordinato Sacerdote, patet, inquam, haec esse confectio panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi esse confectio hoc sacrificium, quod in lege Evangelica est unum, & singulare. Item à peccatis absolvendi, quod est sacramentum poenitentiae ministrari; demum praebere etiam extreme Unctionis sacramentum; Alia quaedam minus praecipua addi solent, quae in Pontificali videri possunt.

52 Sed illant Auctores secundae sententiae hanc ordinationem consistere solum in traditione patenae, & calicis cum pane, & vino, & verbis, quae tunc ab Episcopo profertur, quia in Concilio Florentino ab Eugenio Papa haec sola materia, & forma in hac ordinatione assignatur; Deinde Gregorius Nonus, ut refertur cap. Presbyter extra de sacramentis non iterandis dicit ordinationem Presbyterorum, & Diaconorum sine manuum impositione factam non debere iterari, sed solummodo caedat supplendum esse, quod per errorem est praetermissum; sed si manuum impositio esset pars

materiae, deberet iterari, quia ordinatio, in qua illa omnia fuisset, non esset sacramentum, & in eodem cap. asserit manuum impositionem esse ritum ab Apostolis introductum. Denique D. Aug. lib. 3. de baptismo contra Donatum cap. 16. loquens de manuum impositione in sacramento Ordinis aperit ait, manuum impositionem; per quam Spiritus Sanctus datur, esse reiterabilem, sic enim loquitur in fine illius capituli, *manus autem impositio non sicut baptismus reperiri non potest, quid enim aliud est, nisi oratio super hominum; ut sacramentum ordinis est irreiterabile, quate si manuum impositio esset de essentia sacramenti, iteranda non esset; quae auctoritate ait Faber se convictum pro secunda sententia.*

53 Resp. testimonium Concilii Florentini non sufficienter probare hanc ordinationem in sola traditione patenae, & vini consistere, nec nominando hanc traditionem locum esse exclusivè de manuum impositione, cum Florentinum supponat Carthaginense Concilium, & Ecclesiarum in Pontificali Romano, in quibus additur manuum impositio, ut de essentia ordinationis.

Ad secundam negatur minor, nam cum non debet iterari materia, & forma ante applicata, sed applicari de novo materia, & forma omnia, quamvis illa sit essentialiter requisita, non debet iterari ordinatio, sed addi pars omnia, unde potius supponat Pontifex eam partem esse de substantia ordinationis, cum iubeat eo modo supplicari debere; solumque dicere voluit non debere suppleri, & iterari reliquum, quod fuerat sufficienter, & ritè percipit; quo autem sensu Pontifex ibidem vocet manuum impositionem ritum ab Apostolis introductum, iam explicatum est art. praeced. n. 43.

Ad tertium duplex manuum impositio in praedicta ordinatione distinguatur, una, quae fit ab Episcopo, & à Sacerdotibus adstantibus ante consecrationem Eucharistiae, nullis profus verbis adhibitis, sed omnibus silentibus; altera vero est, quae fit à solo Episcopo post communionem adhibitis illis verbis, *accipite Spiritum Sanctum*, quam solum hic dicimus ad essentialem materiam huius ordinationis pertinere; quando itaque ait Augustinus loc. cit. manuum impositionem esse reiterabilem, & consequenter ad essentialem materiam huius ordinationis non pertinere, loquitur de prima manuum impositione, non de secundam de illa quoque inquit Vasquez d. 2. c. 23. cap. 6. in fine intelligendum esse cap. illud *Presbyter, quia merito praecipit suppleri, cum fuerit omnia, nulla alia caeremonia repetita ex his, quae adhibita fuerint in ordinatione Sacerdotis.*

54 Deinde arguunt ratione, quia Sacerdotes tunc sunt, cum eis dicitur, *accipite potestatem offerendi sacrificium*; sed tunc non imponitur manus, sed tantum porrigitur calix cum vino, & patena cum pane, ergo manus impositio, quae deinde post praedictam sacrificium, & communionem fit ab Episcopo, non pertinet ad essentialem ordinis sacerdotalis; Major probatur, quia Sacerdos, ut sic, constituitur potestate offerendi sacrificium, & Apostoli facti tunc Sacerdotes in ultima caena à Christo, dum in illa data fuisset eis potestas offerendi sacrificium Eucharistiae per illa verba, hoc facite in meam commemorationem, tum quia per illam manuum impositionem non constituitur propriè Sacerdos ad sacrificandum, sed potius iudex ad absolvendum.

Constitutur, quia novi ordinati post traditionem patenae cum pane, & calicis cum vino Missam faciunt cum Episcopo priusquam manus ipsis imponatur, ergo ante manuum impositionem sunt perfectè Sacerdotes. Denique quia ex una parte inconveniens esse dicitur, characterem sacerdotalem non imprimi, potestatem, & gratiam non confertur, nisi utique ad impositionem manuum, quia sic tolleretur vis, & veritas priorum verborum, *accipite potestatem offerendi sacrificium*. Ex altera parte inconveniens esse dicitur his qui idem verbis statim imprimi characterem, & conferri gratiam, & potestatem, ad sacrificandum, & consecrandum, non autem ad absolvendum, quia sic dividetur gratia, & potestas Sacerdotis, & si Episcopus inter ordinandum post tradidit calicem, & verba correspondentia moretur ante manus impositionem, sequetur ordinatum non habere potestatem remittendi peccata, nec fatis definiti posset, quales remaneret Sacerdos, si quando post illam partem praetermissa fuisset impositio manuum cum aliis verbis. Aut si in utraque parte conferatur distincta potestas, & distincta gratia, esset duplex sacramentum, & duplex ordo.

55 Resp. argumentum illud concludere solum, potestatem consecrandi perfectè confertur independenter à potestate remittendi peccata, per illa verba *accipite potestatem offerendi sacrificium*; non autem perfectè, & complete confertur Ordinem Sacerdotii, quia pars essentialis eiusdem Sacerdotii est potestas illa iudicialis ad absolvendum, & ideo rectè dicitur etiam ratione huius partis constituitur ordinari Sacerdotem per manuum impositionem; supra dictum est, quod quando ab initio consecrationis solum recipit potestatem consecrandi per traditionem patenae, & vini, est Sacerdos novè legis inchoatus, & incompletus, idè, qui ordinatur habere casulam à tergo complicatam, donec alteram accipiat potestatem absolvendi, quae datur ab Episcopo post manuum impositionem post Eucharistiam sumptam, & sacrificium perfectum.

ARTICULUS TERTIUS.

De effectu cuiuscunque Ordinis.

Ad Confirmationem patet per idem; probat enim solum potestatem conferendi per se conferri independentem a potestate absolvendi...

56 Ad ultimum qualiter, & quando conferatur effectus gratie, & characteris ac potestatis in hac ordinatione declarat Doct. 4. d. 19. q. 1. ar. 3. sibi lit. G. ubi dicitur...

57 Denique circa materiam, & formam Episcopatus Doctores communiter conveniunt, hanc ordinationem essentialiter, & adquirentem consistere in manuum impositione...

Officia vero Episcopi propria, quedam consistunt in ministerio eorum sacramentorum, quae peculiariter ad Episcopum spectant, & iure divino illi competunt...

58 Non agitur de effectu gratiae, quem confert sacramentum Ordinis in ratione sacramenti, ut sic, sed de effectu particulari ubi alius est iustus...

Prima difficultas est, an omnis ordinatione imprimatur characterem, Negant Vasquez, & alii, qui existimant aliquos ordines non esse sacramenta; Affirmant, qui cum D. Thoma, & Scoto tenent oppositum...

Confirmatur, quia ex communis Ecclesiae sensu quodlibet sacramentum ordinis est irretractabile, ergo quodlibet imprimatur characterem, hic enim communiter supponitur esse causa irretractabilitatis...

Respondent aliqui oppositum sentientes, quod imprimatur per aliquam ordinis sacramenta, non esse novum characterem, sed inchoatum a characteribus prioribus...

Secunda Difficultas est de connexione ordinum inter se, scilicet, esse eorum institutione sint ita connexi, ut character ordinis posterioris necessitate praesupponat in ordinatione impressionem characteris prioris...

Hinc similiter aliqui Canonici volunt ordinem, & gradum Episcopalem, non esse intrinseca ratione sui, sed institutione Christi supponere debere ordinem, & characterem sacerdotalem...

S. Epiphanius, generare Patres Ecclesiae, non potest quis Episcopus constitui sine ista potestate; sicut virtus generandi non requiritur, nisi conjuncta cum ipsa natura alteri communicanda...

60 Tertia Difficultas est, an ordinatio Episcopi imprimatur characterem ad sacerdotalem distinctum. Auctores quorundam adferentes Episcopatum esse quidem verum ordinem, & sacramentum, non tamen ad sacerdotalem distinctum...

61 Quarta Difficultas est, an character episcopalis sit dignior Sacerdotali, qui difficultati solent respondere Scotus, & Scotus dicit, 2. 2. q. 2. art. 2. ut dicitur est, quod si loquamur de characteribus totali, integro, & perfecto...

62 Quinta tandem Difficultas est, an ad valorem singulari ordinationum, ut nunc sumus producatur effectum, & characterem imprimatur, esse parte ordinis requiritur tactus physicus...

adebit hunc contactum physicum non requiritur necessitate sacramenti, sed sola necessitate precepti, quia ad verificationem formae non est necessarius tactus physicus...

63 Alii vero requirunt contactum physicum saltem mediatum ejus materiae, cuius fit traditio, dum conceditur potestas ordinis, ratio est, quia dicitur tactus requiritur ad verificationem formae...

At inquit Vasquez dicitur, 2. 2. q. 2. optime verificari totum hoc significatum, Accipe librum, & sic de alii instrumentis, per solam traditionem, & protectionem factam ab ordinatione...

64 Non ob id tamen necessarium est ad valorem ordinationis ordinatum immediate tangat sacra instrumenta suis manibus, propterea diximus, sufficere contactum physicum saltem mediatum...

QUESTIO QUARTA.

An in Missa Deo offeratur verum, & proprium sacrificium, & in quo eius essentia consistat.

65 Quoniam supra diximus, primarium, & principale munus Sacerdotis esse, consecrare panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi, & hoc sacrosanctum Eucharistiae sacrificium Deo in Missa offerre...